




# Lutzenburg Ducatus.

<https://hdl.handle.net/1874/429240>



1783  
863  
94



## Lutzenburgicus Ducatus.

capta & spoliata à Gallis, quibus ductor erat Dux Aurelianensis. Sequente anno iterum ab iisdem vexata. Postea vicinorum bellorum mala sensit; imprimis anno 1552. Henrico II. Francorum Rege contra Carolum V. ducente exercitum in Germaniam & omnia late longeq; igni & ferro vastante. *Arlonum* vernacule *Arlon*, situm est in montis vertice. oppidum satis elegans. Lunam Deam hic olim gentilitio more cultam, & inde nomen habere putatur. Hic multa antiquitatis monumenta eruta quæ Comes Petrus Ernestus hinc ad ædes suas amplissimas, quas habet in Pomœrio urbis Lutzenburgensis, transferri curavit. Patria hæc fuit Bartholomæi Latomi, Viri egregie docti. *Rodemacia* Lutzenburgo distat trium leucarum spatio, oppidulum lautum & arce conspicuum. *Theonis Villa* (*Theon Ville*) in ripa Mosellæ præsidium totius regionis, & contra quemvis impetum oppidum tutissimum. Hanc à Carolo Magno institutam voluit, ut tertia Imperij sedes esset per Germaniam inferiorem. *Bastonaicum* aliter vocant *Paris en Ardenne*, quasi diceret *Arduennensis Lutetia*. *Gravemacria* & *Coning-Macria* modica sunt ad Mosellam oppida, uti & *Dikrichia* ad fluvium Suram. *Viertonium* & *Echternacum* pari intervallo Lutzenburgo distident. *Vienda*, arce conspicuum est oppidum satis memorabili sede olim & domicilio equitum Templariorum, quorum etiam in Sacello effigiem & veterem morem notes. *Novocastrum* etiam modicum, pulchrum tamen satis est oppidulum. *Mommedium* in monte situm, cujus radices alluit flumen *Chirfus*. *Danvillerium* oppidum duodecim Lutzenburgo abest miliaribus, bellis captum, direptum ac solo æquatam, & postea restauratum. *Marvillium* ad eundem *Chirfus* est, quod pro altera sui parte Hispanianiarum Regem; pro altera Lotharingæ Ducum Dynastias agnoscit. *Rupes Arduennensis* vulgò *la Roche en Ardenne* itemque *Durbium*, duo sunt oppidula satis lauta & Comitatus dignitate spectanda. *Famum S. Viti* oppidulum est peramœnum, uti est *Sleida*, muris carens, titulo Comitatus & insigni in aliquot pagos jurisdictione superbiens. *Martia* vulgò *Mars en Famine*, nomen habet à Marte, oppidum mire

antiquum. *Ioosum*, *Chinium*, *Fertea* vicinibus spoliata sunt. Nobiles in tota hac Provincia permulti, quorum numerum vix imminuerunt bella ista gravissima, horum ordinem ornant aliquot Imperatores ex iis fere, sed de Nobilium nimio rigore conqueruntur coloni; habentur enim pro servis, quod alioquin in nulla Belgij parte obrinet. Cætera sunt humani laudis avidi, fidi & virtutes amantes laborum imprimis & inedia patientes. Fluminibus regio omnis rigatur plurimis. Eorum primum nobilissimumque est *Mosella*, quem Antonius singulari doctiq; carmine celebrat *Eidyl.* 1. 1. 1. ab aquæ limpidine navigandique facilitate; villis atrisq; quibus utraq; ripa decoratur. Piscibus gaudet *Capitone*, *Salari*, *Redone*, *Vmbra*, *Barbo*, *Salmone*, *Musstella*, *Perca*, *Tinca*, *Alburno*, *Alaufa*, *Gobio* & *Siluro*, fluminibus denique in ipsam decurrentibus; *Pronaa*, *Nemesa*, *Sura*, *Gelbi*, *Erubro*, *Lefura*, *Trabono*, *Salmone*, *Saravo*, & *Alfontia*. Mosellam & Ararim, facta inter utrumque fossa, connectere sub Imperatore Domitio Nerone, adgressus est L. Verus, ut copiam ex Italia per mare; dein Rhodano & Arare subvectæ per eam fossam, mox Fluvio Mosella in Rhenum, exin rursus in Oceanum decurreret, sublatiq; itinerum difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis, Septentrionisque fierent littora, ut scribit Cornelius Tacitus lib. 13. De Mosa sibi diximus & quidem passim in quibusdam descriptionibus, ubi ejus memoria incidit. Reliqua sunt *Chier*, *Mosa*, *Bemoij*, *Houl*, *Lech*, *Alfatus*, *Atardus*, *Saurus*, *Prumeus*, *Mineus*, *Ghomeus*, *Orto*, *Albis*, ac innumeri pene rivuli. Montibus Regio undique attollitur, silvisque innectitur densissimis. Eæ omnes Arduennæ totius Gallicæ silvæ maximæ rami sunt. Curia totius Provinciæ in urbe Lutzenburgo jus dicit, sermone vel Gallico vel Germanice, pro locorum ratione quibus jus dicitur. Germanice enim loquuntur Lutzenburgi, Arloni, Rodemacæ, Theonvillæ: Gallicè vero Ivoys, Mommedi, Merveil & Danvilliers; atque ob hanc causam necesse est & iudices & advocati & alij curiæ ministri utramque linguam calleant. Ab hac autem Curia provocatur Mechliniam, ubi quæ scripta sunt Germanice, bona fide Gallicè redduntur.



## LVTZENBURGICVS DVCATVS

Regio unde nomen habet.



Sicut.

Soli ferti-  
tatis.

Imperium  
Majestatis.

Ucatus LUTZENBURGICUS nomen habet à primaria totius regionis civitate. hæc (ut nonnulli opinantur) à fluvio *Elza*, *Alfontia* sorte Antonini. Ab *Elza* fit *Elzenburch*, inde *Lutzenburch*. Petrus Divæus aliam de Lutzenburgo sententiã notat his vercatibus *Leucorum gentem* (inquit) *justa Treviros, Mediomatricos, ac Lingonas habitasse indubitatum est. Oppidum eorum Tullus ac Nasium, Ptolemao celebrata nomen servant, Toul & Nansy; vernacule crediderim appellatos, Die Lutzen, & late imperasse, ut ab iis Lutzenburgij celebris oppidi nomen ortum sit, quasi der Lutzenburch.* Hæc ille. *Lazius Mosellanum Ducatum* vocat. Terminant hunc Ducatum ad Septentrionem *Leodienfes* & *Namnetes*; ad Austrum *Lotharingi*; ad Ortum, *Mosella* cum *Episcopatu Trevirensi*; ad Occasum *Mosa* cum *Silva Arduenna*. Ambitus totius regionis est 70. Milliarium. Regio omnis licet montosa & saltuosa, bona tamen, benignaque ac fertilis est. Maximamque partem *Sylvæ Arduennæ* complectitur. Ideoque dividitur in duas partes, quarum altera *Famenna*, altera *Arduenna* dicitur. *Famenna* fertilior est segetis & vini, *Arduenna* asperior, sed quæ asperitatem venationum bonitate & ferarum optimi generis mirifica abundantia compensat. Fera istæ cum aliæ, tum cervi, apri, capreoli, lepores, cuniculi; & præter phasianos & perdices ordinarias, reperiuntur, hic aliquot avium genera, quæ non temere alibi usquam invenias, ac primo quidem eæ, quas vulgò vocant *Caurettes*, perdicibus paulò grandiores ac coturnicibus pene adsimiles, sed discolores gratoque aspectu, oculis pedibusque puniceis, carne candida, & supra quam dici queat, suavi. Deinde duplex illud genus pullorum *Sylvestrium*, quorum alterum fere accedit ad Gallinam Africanam & Lemovicensium nomine ipsius celebratur *Pouille de Limoges*; alterum audit vulgò de *Bruyeres* ab Ericetis & id genus incultis, atq; desertis campis, ubi suos pullos excludunt, ea quidem utriusque generis & ovorum simul & avium multitudine, ut præter gratissimam voluptatem, maximum etiam fructum indigenis adferant. At præcipuus tamen hujus partis fructus in pecore fere consistit & in ferri cuprique fodinis, quibus Argenti quoque nonnihil accedit. Metalla ferri sunt non procul à *Manderscheyd*, in dominiis *Keyla*, *Cronenberch* & *Sleida*, ad vallem cui nomen est *Hellenthal*. Constantur hoc loco ab istis Cyclopiis incudes, fornaces ferreæ, pyreteria, quæ per totam Germaniam & Belgium ingenti lucro distrahantur. Suppetit item maxima vis lignorum, cudendis metallis & extruendis fornacibus, levi impensa & opera commodissimorum. Nec silentio prætereundum hoc loco inveniri versus Mosellam nonnullos Fontes Sali gignendo commodos. Titulum duntaxat Comitatus initio habuit, atque adeo Henricus Septimus Imper. Comes fuit Lutzenburgicus, non Dux. Postea in Ducatus dignitatem, qua hodie adhuc utitur, evecta fuit. Hoc alij *Wenceslao Romanorum Regi*, alij *Carolo quarto* tribuunt, *Conradus* autem *Vercensis Henrico VII.* adscribit primo ex ea familia Romanorum Imperatori. Primum hujus Comitem *Sigfridum* fuisse, in schedis manu exaratis se reperisse, scribit *Ortelius*, eumque filium fuisse *Tacini Ducis Mosellani*. Cæterum *Henrico Imperatore* ejus nominis VII. in Etruria rebus humanis exempto anno 1313. devolutum est jus hujus regionis ad *Wenceslao Bohemiarum Regem*, *Caroli IV. Imperatoris fratrem*, eoque sine liberis mortuo cessit jus *Caroli IV. liberis*, *Wenceslao & Sigismundo*, qui in Imperio ordine patrem secuti sunt; *Wenceslao* cognatam suam *Elisabetham* elocaturus *Antonio Brabantia Ducis*, has ei terras dotis nomine dedit. *Antonius* circa *Blangium* in Morinis prælio adversus Gallos cæsus viduam uxorem reliquit, quæ *Sigismundo Imperatore* contra civis novamolientes evocato ad defensionem agri dotalis, à *Burgundo* restituta vel potius adsera est. Post *Elisabethæ* istius obitum, vindicavit sibi hanc ditionem *Philippus Burgundus*, Dux *Brabantia urbe* primaria expugnata. *Carolus* vero *audax Philippi* frater transiit cum *Isabella Casimiri Polonia Regis* conjugæ, unica *Sigismundi Imperatoris* filia & hærede, redemitque pecunia litem. Hinc ad *Cæsarem Maximilianum* cum *Maria Caroli* filia & hoc modo ad *Carolus V.* & filium ejus *Philippum* hoc modo devoluta fuit. Urbes habet viginti, vallo & fossa munitas, quarum nomina hæc sunt, *Lutzenburgum*, *Arlonum*, *Theonis villa*, *Rodemachera*, *Gravemacherum*, *Coningsmacherum*, *Dierichum*, *Viertonium*, *Echternachum*, *Vienda*, *Bastonaicum*, *Mommedium*, *Novum Castrum*, *Danvillerium*, *Marvillia*, *Roccha*, *Durbis*, *S. Viti urbs*, *Marza* & *Salma*. Sunt & urbes aliquot quarum moenia solo æquata. Sunt & arces urbium penæ æmula, *S. Joannis* & *Mandrecheid*, quibus titulus est Comitatus. Pagi sunt 1169. Ducatus etiam iste sub se habet Comitatus septem. *Baronatus* plurimos; *Domina* plurima, in quibus nobiles plus juris habent in subditos, quam per reliquam Belgicam. Status Reipubl. est penes Antistites, nobiles & urbium optimates. Urbs primaria *Lutzenburgum*, & *Leucoburgum*; *Ptolemæi*, *Augusta Romanorum* *Petro Appiano*. *Guicciardinus* dictum vult quasi *Lucifurgum*, hoc est, arx Solis. Quem admodum pleraque alia hujus tractus loca à Gentilium diis denominata videri possunt: *Arlon* ab ara *Lunæ*; *Ivois* à *Jove*, *Marche* à *Marte*. Urbs sita est loco peramœno, parte altera montoso, altera plano. Hanc *Elza* fluvius interluit, partem urbis superiorem & montanam, ab inferiori & plana dirimens. Edificia in ea domusque utcumque splendida, verum belli injuriis varie afflictæ; ac Templi sacræ *Nicolae* cœnobium *Francisco* & *abbatia B. Mariæ*, in quo sepultus *Joannes Lutzenburgicus Rex Bohemiarum*, filius *Henrici VII. Imperatoris* & pater *Caroli IV.* Urbs hæc, etsi *Martis* frequenter deformata furoribus, cui nihil cum *Musis* otio & tranquillitate gaudentibus commune, illustres tamen eruditione viros edidit. Atque inter multos *Nicolaum Navium*, hominem usque adeo doctrina, & rerum prudentia magnum, ut Curia judicialis apud *Lutzenburgum* Præses, non ante munus quam vitam, filium autem reliquerit sibi cognominem, qui paternas æquans virtutes tantum apud *Carolus V. Cæsarem* gratia valuit, ut in toto Imperio *Cancellarij* vicarius ab eo constitutus, id muneris cum vita finiret. Hæc urbs anno 1542. capta